

V. *Ab heroicis personis V. T. ad vulgares  
in N. T. non licet argumentari: ut ab Elia  
ad me*

VI. *A promissionibus symbolicis & typi-  
cis oportet assurgere ad bonum aeternum. Sic  
Patribus sub terrenis beneficiis cœlestis  
hereditas contemplanda & veluti gustan-  
da fuit exhibita.*

## CAPUT XX.

### *De persona & officio Christi.*

I. *A Naturis Christi ad personam valet  
conclusio. Nam si divina Christi na-  
tura est ubique, utiq; Christus est ubique:  
& rursus, si humana Christi natura est vul-  
nerata, utique Christus est vulneratus.*

II. *A personâ Christi ad naturas inconse-  
quens est conclusio. Neque enim sequitur:  
Christus est ubique. Ergo secundum u-  
tramque ueroram est ubique. Oportet  
hic distinguere attributa Christi, quorum  
alia sunt divina simpliciter, alia humana,  
alia theandrica. In illis & istis non valet ar-  
gumentum à personâ ad naturas: in his  
valet.*

III. *A concreto ad abstractum in doctrinâ  
de persona Christi non valet consequentia. Sic  
à Christo homine ad ejus humanitatem,  
& à Christo Deo ad ejus Deitatem imper-  
tinens.*